

Jan: Matthaeus

1777, 1-^{te}.

2299.



FESTVM
IESV CHRISTI NATALE

PIE CELEBRANDVM

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI
AVCTORITATE

INDICIT

D. JOANNES GVILELMVS RAV

THEOL. PROF. P. O. ECCLES. PALAEOPOLIT. PAST.
ET ILL. GYMNAS. SCHOLARCHA

1914. 2336

Quo consilio Iesus Christus parabolam de decem virginibus
Matth. XXV, 1 — 13. proposuerit, anquiritur.

7. 1724. ERLANGÆ

TYPIS A. E. IVNGE MDCCXCVIII

1724

4137

549

M U T A T I O N E
CHRISTI-KATHE

LIBER QMILLERIANUM

LIBERISSIMI SEMINATIUS ACADEMICI

ACUTORITATE

INDICIT

D. JONASSE GALLERIUS RAV

AD OCTOBRIJ. 1711. EX LIBRIS.

KONIGL. BIBLIOTHEK DER UNIVERSITATI



Parabolam de decem virginibus, partim prudentibus,
partim imprudentibus, Matth. XXV, 1 — 13. eo
consilio a Iesu fuisse propositam, ut cultores suos, qui
adventum ipsius exspectare debebant, excitaret ad vi-
gilantiam, ipse declarat in επιμνησιω sub juncto v. 13.
quod his continetur verbis: *vigilate igitur, cum nec tem-
pus sciatis, nec horam a.* Quemadmodum enim virgi-
nes prudentes, quae ad excipiendum sponsum paratae
erant, coenae nuptialis participes factae, imprudentes
autem ab ejus usu exclusae sunt: ita futurum esse, Iesus
significat, ut alii ex adventu ipsius fructum capiant uber-
imum, alii contra detrimentum. Sed de quoniam ad-
ventu cogitari voluerit, in controversiam vocatur ab
interpretibus. In duas maxime abeunt partes. Alii
nimirum adventum Iesu Christi ad judicium extremum

A 2

intel-

a) Quae in vulgaribus editionibus addi solent verba: *εν γε ουτοις αν-*
θεωτες εγχεται, ea spuria esse, ex eo intelligitur, quod a multis iis-
que antiquissimis codicibus, a multis antiquis versionibus, et a pluribus
patribus omittuntur. Procul dubio a librario quodam e c. XXIV, 44.
sumta et loco nostro affixa sunt. V. Millii, Bengelii, Weistenii et
Griesbachii libri huc spectantes.



intelligunt: atque haec sententia plerisque, credo, placuit. Alii contra eum de adventu suo ad poenas, de populo judaico sumendas, loquutum esse statuunt b). (Nam bellum huic populo a Romanis illatum, et, quae inde consequuta est, excisio Hierosolymorum totiusque reipublicae judaicae everfio Christo, tamquam vindicta, in libris N. T. tribuitur isque ad ulciscendam Iudeorum impietatem de coelo venturus dicitur, velut Matth. XVI, 27. 28. XXIV, 27. 30. Luc. XXI, 27.) Inter eos, qui posteriorem defendunt explicationem, et Iesum in parabola de decem virginibus ad interitum reipublicae judaicae spectasse contendunt, praeccipue

b) Sunt etiam, qui omnia, quae a v. I. cap. XXV. usque ad v. 30. dicuntur, ad utrumque Christi adventum referenda esse putent, quam sententiam in primis defendit Rosenmüller (Schol. in N. T. to. I. p. 448. f.) Nam „apostolos et christianos illius aetatis, ait, in ea frusse opinione, „utrumque adventum satis propinquum intervallo conjunctum fore, „ignorasse saltim, num excidium Hierosolymorum et iudicium universale uno eodemque tempore, an vero alterum post aliquot annos, „alterum elapso demum multorum seculorum spatio eventum habitura sint.“ Hoc posterius quidem recte, si quid judico, affirmatur et demonstrari facile potest. Verum h. l. non quaeritur, quid apostoli aliquique Christi sectatores senserint, sed quam ipse habuerit protuleritque sententiam. Eum autem optime sciisse, quam longo temporis intervallo alter adventus disjunctus fuerit ab altero, dubio caret. Itaque vel illum, vel hunc seorsum intelligendum esse, existimo.

eminent Michaelis c), Mosche d), Eckermann e), Hessel f), Stolz g), auctor enchoridii exegetici h) et Seyffarth i). Evidem non dubito, quin horum viorum sententia sit praferenda; sed puto tamen, eam paulo magis firmari posse, quam ab iis factum est. Itaque nunc in eo occupabor, ut partim rationes, ob quas mihi vera esse videatur, strictim exponam, partim objectionibus liberem.

Primo quidem loco pro hac explicatione pugnat orationis contextus, quippe qui clare docet, Iesum in parabola de decem virginibus non de alia re esse locutum, quam cap. XXIV. tractaverat. Nam cap. XXV, i. statim sic pergit: Τοτε ὁμολογεῖται ἡ βασιλείᾳ τῶν εργῶν δικαια παρθενοῖς, cet. Illud τοτε argumentum sequentis orationis manifesto copulat cum superiori, atque declarat, illud, quod in hac parabola proponitur, ad idem

A 3

fere

c) Anmerkk. zu seiner Vebersetz. d. N. T. to. I. p. 253.

d) Erklärung aller Sonn- u. Fest. Evangel. to. III. p. 2116. ff.

e) Theolog. Beiträge, vol. II. part. I. p. 116.

f) Die Bibel alt. u. N. Test. to. VIII. p. 231.

g) Erläuterungen zum N. T. part. I. p. 149. f.

h) Exeget. Handbuch des N. T. part. I. p. 237. edit. tert.

i) Vebersetz. u. Erklärung der gewöhl. Epist. u. Evangel. part. VI p. 116. f.

fere tempus esse referendum, quo ante dicta futura esse praenunciantur. Igitur *tote* h. l. est *tunc*, s. *eodem tempore k).* Iam cum Iesu cap. XXIV. nihil aliud, nisi bellum judaicum et excidium Hierosolymorum totiusque republicae judaicae praedixerit, ut ab aliis abunde demonstratum est *l)*: consequens est, ut parabola de decem virginibus, quae per voculam *tote* huic predictioni nectitur, de *eodem* argumento sit accipienda. Consilium hujus parabolae igitur eo spectavit, ut cultores Iesu Christi de periculis futuri temporis vitandis, et de fide in profitenda, vel adeo propaganda ipsius religione admonerentur. Facile enim accidere poterat, ut haud pauci ex iis, qui ipsi nomen dederant, sensim sensimque ad pravos Iudeorum mores imitandos impelli se paterentur, ut turpi se traderent securitati, ut, amore patrii soli ducti, opportunitatem, ab urbe Hierosolymitana fugiendi, negligerent, ut a religione christiana deficerent, et a calamitatibus belli, suo tempore erupturi, opprimerentur. Iesus igitur iis, ad quos locutus est, commendavit vigilantiam, ne similes fierent virginibus illis incautis, quae, quia oleum iis derat,

k) V. Mofche l. 1.

l) Laudandi in primis sunt Michaelis (l. mem. p. 235. ff.) et Mofche (l. mem. to. I. p. 61. ff.)

7

erat, sponso non poterant obviam ire, et quae ob hanc suam imprudentiam a convivio nuptiali sunt exclusae. Commendat iis vigilantiam, ut, simulac de exercitus romani impetu in Iudeos certiores fierent, saluti suaे consulerent ac se se conferrent in fugam. Consilium igitur parabolæ de decem virginibus spectat eodem, quo admonitio Christi cap. XXIV, 15 — 18. est referenda. Hanc autem admonitionem haud fuisse supervacaneam, docuit eventus. Nam qui huic admonitioni reliquerunt locum, periculo belli liberati, ceteri contra ejus vi obruti et oppressi sunt.

Huic explicationi, hactenus propositae, duo objicit *Kuinoel m)*, quae non possum praeterire silentio. Primum enim monet, particulam *totæ* hoc loco significare *olim, aliquando*, non *tunc*; neque adeo hanc particulam ea, quae sequuntur, accurate copulare cum iis, quae praecesserint. Non enim probabile esse, Iesum ea omnia, quae c. XXIV. et XXV. leguntur, uno tenore dixisse, imo potius eum a discipulis haud dubie interrogando fuisse interpellatum. Quod mihi quidem secus videtur. Nam quod ad particulam *totæ* attinet, equidem non nego, eam saepius significare *olim, aliquando*; sed haec significatio tum demum admittenda est, ubi oratio-

m) Pericopæ evangel. vol. II. p. 141.



orationis contextus aliam et consuetam non patitur, et in primis, ubi unum temporis momentum opponitur alteri, velut 1 Cor. XIII, 12. In eo autem, quem tractamus, loco nihil est, quod nos moneat, Iesum initio cap. XXV. aliud tempus voluisse designare, quam quod c. XXIV. innuerat. Accedit, quod particula ~~τοτε~~ in utroque capite saepius occurrit, et semper eam habet significationem, quam ei tribuendam esse existimo. Cur ergo hanc c. XXV, 1. relinquendam esse putemus? Nec de eo mihi persuaderi possum, quod *Kuinoel* contendit, non omnia, quae cap. XXIV. et XXV. leguntur, uno tenore a Iesu dicta esse videri; sed eum a discipulis interrogando interpellatum, interrogations tamen ab evangelista fuisse omissas. Nam et si negari non potest, Iesum interdum interpellatum et interrogations esse omissas: tamen in ea oratione, quae cap. XXIV. et XXV. continetur, nulla deprehendo interpellationis vestigia. Nihil in ea est, quod abruptum atque absconditum videri possit; sed omnes sententiae arctissime inter se cohaerent. Exemplum colloquii, quod Iesus habuit cum Nicodemo, Io. III., et ad quod *Kuinoel* provocat, ut mea quidem est opinio, huc trahi non potest. In hoc enim colloquio manifesta interpellationis signa insunt, siquidem quae a v. 14. sequuntur, non cohaerent cum praecedenti oratione, ut adeo credibile sit,

unam

unam alteramve interrogationem Nicodemi a Ioanne
fuisse praetermissam. Sed ubi sunt talia interpellatio-
nis vestigia in ea oratione Christi, quam Matthaeus
c. XXIV. et XXV. nobis exhibuit? Tota igitur haec
oratio uno tenore habita esse videtur; et si hoc est,
particula ~~tote~~ eam habere debet vim, quam ei inesse
statui.

Alterum, quod doctissimus *Kuinoel* huic explica-
tioni opponit, repetitum est a parabola sequenti de ta-
lentis, v. 14—30. n). Hanc enim parabolam, ait,
non commode aliter explicari posse, ac de praemiis poen-
nisve in altera vita exspectandis: Iesum ergo his duabus
parabolis voluisse sibi quasi viam munire ad descrip-
tionem ultimi adventus ad judicium extremum, quae inde
a v. 31. legatur. Haec sane speciose dicta sunt. Vtram-
que parabolam de decem virginibus et de talentis ar-
ctissime inter se cohaerere, manifestum est. Finita
enim priore Iesu illico v. 14. sic pergit: Ωσπερ γαρ ανθρω-
πος αποδημων εκαλεσε τες ιδιας δελεγε, cet. Ex quo clarum
est, utramque parabolam ad unum idemque temporis
momentum esse referendam. Iam si certum esset, po-
steriorem non nisi de praemiis poenisve futurae vitae
explicari posse atque adeo ad judicium spectare extre-
mum:

n) loco supra laud.

B



mum: sane etiam prior eodem referri deberet. Verum enim quod pro certo habetur, id, mea quidem opinione, maxime incertum est. Si summa parabolae de talents respicitur et ab inani opera eorum abstinetur, qui singulas comparisonum partes anxie persequi et omnes ad vivum ressecare student: facile intelligemus, consilium hujus parabolae in eo positum esse, ut Iesus cultores suos, quos ante oculos habuit, ad bene collocandas animi dotes adhortaretur. Si haec adhortatio duntaxat ad apostolos pertinuit, profecto nobis haud supervacanea debebit videri. Alios enim ex his amplioribus, alios tenuioribus animi dotibus fuisse praeditos, quis eat inficias? Vnumquemque autem eorum, in primis post abitum Christi in coelum, obligatum fuisse ad religionem ejus in his terris pro virili propagandam, ut, postquam respublica Iudeorum extincta esset, ampliorem in ecclesia christiana provinciam administrare remque christianam augere posset, itidem negari non debet. Nec est, quod quis objiciat, vix potuisse quempiam inter apostolos similem esse tali servo, qualis v. 24—28. describitur. Quid enim? si haec descriptio non ad partes parabolae praecipuas, sed ad ejus exornationem pertineat? Hoc si statuitur, parabola, et quae in ea proponitur adhortatio ad praefundam fidem haud inepte ad apostolos poterit referri. Verum ne opus quidem est, sic statue-

12

statuere. Nam praeter apostolos etiam alios cultores Iesu Christi eo tempore, cum sermones illos haberet, qui Matth. XXIV. et XXV. leguntur, in monte olivarum affuisse, admodum credibile est, in primis propterea, quod Iesus hos, qui aderant, tam graviter hortatus est, ut sibi a pseudoprophetis et pseudochristis diligenter caverent, c. XXIV, 5. 23—26. Quis est, qui sibi persuadeat, tali admonitione opus fuisse apostolis? Quis credit, hos eo procedere potuisse dementiae, ut alium quempiam haberent pro messia? Alios autem Christi cultores in periculum potuisse incidere, ne a callidis impostoribus ad partes suas sollicitarentur, nemini mirum videbitur o). Itaque si Christus parabolam de talentis non tantum apostolis, sed aliis etiam discipulis et sectatoribus proposuit, consilium et argumentum hujus parabolae offendet neminem, licet ea ad excidium Hierosolymorum, non ad judicium extremum referatur. Omnes omnino voluit edocere, quam necessarium esset, ut unusquisque virium suarum modulo ad adjuvandam rem christianam sapienter uteretur, omnemque fugeret segnitiem, inconstantiam et perfidiam.

B 2

o) V. Mosche l. l. to. III. p. 2036. f. ubi etiam aliae causae proferuntur, quare credi oporteat, Iesum tunc temporis praeter apostolos alios habuisse auditores.

diam. Quo magis enim verendum erat, ne plures ex iis, qui tum eum pro messia habebant, jam ante bellum judaicum et ipso belli tempore ab eo deficerent et ob metum vexationum ad patriam redirent religionem, eo magis consentaneum fuit, ut graviter eos ad fidem servandam excitaret. Nihil igitur est, quod impedit, quo minus etiam parabolam de talentis ad tempus belli judaici, per se quidem valde calamitosi, sed rei christiana gloriofi, spectare putemus. Quod autem praecipuum est et omnem tollere poterit dubitationem, est similis parabola de homine quodam nobili, servis suis decem minas credente, Luc. XIX, 11—27. Haec parabola a Iesu proposita est ante, quam ultimum Hierosolyma venerat. Cum Hierichunte ad Zachaeum, publicanum quemdam, divertisset atque audientibus iis, qui illuc confluxerant, dixisset, se eo venisse consilio, ut homines, turpiter errantes, doctrinae suae cognitione imbuueret: multi suspicati sunt, eum nunc Hierosolyma profectum, et proximo festi tempore regnum messianum solemnni modo esse occupaturum, v. 1—11. Sed cum hi regnum exspectarent terrenum vanaque tenerentur spe: parabolam iis proposuit de homine quodam nobili genere nato, in dissipatam regionem proficiscente, et ante abitum servis suis decem committente minas. Quo consilio haec dixerit, nemini obscurum est. Omnes
fere

fere interpres probe intellexerunt, parabolam hanc non ad judicii extremi, sed ad belli iudaici tempora esse referendam; siquidem in hoc bello religio christiana amplissimam reportavit victoriam, acerrimi ejus hostes profligati et cultores ejus novis aucti sunt beneficiis p). Igitur si non potest dubitari, quin haec parabola, in qua non minus, quam in illa de talentis, tum praemiorum, tum poenarum futurarum mentio sit, ad tempus belli iudaici pertineat, cur hanc eodem trahi posse inficiemur? Haec quidem ad solvendas *Kuinoelii* dubitationes sufficere videbuntur.

Sed ad hanc, quam tuendam suscepi explicacionem secundo loco non minorem, credo, vim habet formula, qua Iesus usus est: ὁμοωθησεται η βασιλεια των εργων, Matth. XXV, 1. In explicando nomine βασιλεια των εργων, (quod non differt a nominibus βασιλεια της θεου et βασιλεια της ιησου, s. χριστου,) valde inter se dissentunt interpres, modo latiorem ei tribuentes notionem, modo angustiorem. Si certa esset *Koppii* q) sententia, statuentis, per hoc nomen in omnibus N. T. locis intelligendum esse solemnem aliquam regni messiani inaugurationem,

B 3

seu

p) V. Michaelis I. 1. p. 474. f.

q) Excur. I. ad epist. ad Thess.

seu gloriosum illud regnum Christi, quod cum reditu ejus e coelis conjunctum adhuc exspectatur, caufa fane caderem. Sed quam parum haec explicatio omnibus N. T. locis conveniret, a pluribus viris doctis demonstratum est r). Ex aliorum igitur sententia βασιλεια των εργων in libris N. T. universē est regnum messianum, h. e. nova religionis forma, a Iesu constituta; modo teneamus, hoc nomen nunc latiori, nunc angustiori sensu accipi solere. Praecipue autem notandum est, formulam βασιλεια των εργων, s. Σες in omnibus parabolis a Iesu propositis latiorem habere significationem et semper de regno messiano universo esse accipiendam. Nam in talibus parabolis partim indolem et naturam religionis, partim futura ecclesiae suae fata depingere studuit; numquam autem, quod sciam, unice felicitatis vel miseriae in altera vita exspectandae habuit rationem. Secus quidem sentit Kuinoel s), quippe qui ad Matth. XX, 1. provocat, statuitque, βασιλειαν των εργων h. l. esse regnum Christi post mortuorum in vitam redditum ab eo inaugrandum, in quo ii, qui haec in vita doctrinam

r) V. in primis Lang in libro: Zum nützl. Gebr. des W. A. Tellerisch. Wörterb. to. IV. p. 69 ff.

s) I. m. to. I. p. 132. et to. II. p. 142.

nam ipsius amplexi sint, eamque vita factisque ex-
preferint, summa felicitate ornari debeant. Sed hanc
explicationem seriei orationis minus convenire autumo.
De hac igitur breviter dispiciendum erit. Petrus ni-
mirum ex magistro quaequivit, quaenam ipsi et reliquis
apostolis, qui religionis caussa omnia reliquissent, ex-
spectanda essent praemia, c. XIX, 27. Procul dubio
spem habuit, fore, ut, quoniam primi fuissent Iesu
discipuli et cultores, praemiis ornarentur plane singu-
laribus et eximiis. Hanc immodestiam castigaturus
Iesus respondit: multos, qui primi essent, ultimos, et
multos ex ultimis primos esse futuros, v. 28—30. Tum
subjunxit parabolam de quodum patrefamilias, diversis
diei horis mercenarios ad colendam vineam conducen-
te et post absolutum opus diurnum singulis eamdem con-
stituente mercedem, c. XX, 1—16. Hanc parabolam
eo spectasse, ut apostoli monerentur, se non ideo,
quia primi fuissent Iesu discipuli et sectatores, prae-
cipua sperare debere praemia, in dubium vocari non
poterit. Etenim hoc Iesus ipse in fine his declarat
verbis: *Sic ultimi erunt primi, et primi erunt ultimi: nam
multi quidem religionem profitentur; sed pauci eximia sunt
dignitate.* Iesus igitur indicare voluit, posse etiam eos,
qui religionem ipsius serius essent amplexi, praecipuis,
imo vero majoribus dignos haberi praemiis, quam eos,

qui



qui prius ei nomen dedissent^{t)}. Si de consilio parabolae sic statuendum est, facile perspicitur, formulam *βασιλεία των οργανών* latiori sensu, h. e. de universo regno messiano esse accipiendam. Nam etsi non nego, Iesum in primis cogitasse de praemiis in altera vita sperandis: tamen ex tota comparatione, quam instituit, clarum est, eum simul ad eos respxisse, qui ecclesiae suae commodis vel per longius, vel per brevius temporis spatium essent inservituri. Ut Deum patrifamilias, sic vineam ecclesiae, mercenarios doctoribus et sociis ecclesiae comparavit, cet. Sunt quidem, ut in aliis parabolis, ita etiam in hac, partes quaedam, quae tantum ad exornationem pertinent, velut denarius, mercenariis constitutus, et rei domesticae procurator, qui singulis tribuit mercedem. Sed haec et alia facile distingui possunt a momentis praecipuis, quibus scilicet dematis nulla amplius foret parabola. Atque inter ea, quae praecipua sunt, pertinent paterfamilias, vinea, mercenarii, variis diei horis conducti, et mercedis distributio. Quid autem cum vinea comparatur? Gloriosum Christi regnum cum ea comparari non posse, apertum est; siquidem qui in hoc regnum ingrediuntur, jam in
hac

t) V. librum a me editum: Materialien zu Kanzelvortr. über die Sonnenfest- und Feiert. Evangel. vol. II. p. 169. ff.

hac vita dignos se fecerunt praemiis, 2 Cor. V, 10.
 Relinquitur ergo, ut ecclesiam Christi cum vinea comparatam esse statuamus. Si res ita se habet, *βασιλεια των ζητεων* in parabola de mercenariis de regno messiae universo erit explicanda. Atque hoc modo in omnibus omnino parabolis Christi, quotquot in libris evangelistarum leguntur, illa formula est intelligenda. Nec aliter intelligi poterit in parabola de decem virginibus, cum praesertim non habeamus caussam idoneam, cur Iesum a perpetua consuetudine dicendi, in parabolis regnante, discessisse, existimemus.

Tertio denique *loco* vel ipse modus, quo Iesus in parabola de decem virginibus de adventu suo loquitur, indicare videtur, adventum ad judicium extremum intelligi non posse. Non in universum cultores suos ad vigilantiam ob adventum suum excitat, sed auditores, h. e. apostolos aliasque fortasse discipulos his compellat verbis: *vigilate igitur, siquidem nec tempus, nec horam nostis*, v. 13. Iisdem prope verbis usus est ante, cum, ut satis superque notum est, de adventu suo ad puniendam Iudeorum nationem loqueretur, c. XXIV, 42. coll. Marc. XIII, 33. 37. In fine igitur parabolae de decem virginibus duntaxat repetit admonitionem supra propositam. Porro ita loquitur de adventu suo,

C

ut

ut significare videatur, eum vivis adhuc istis hominibus, qui cum ipso erant, contingere posse, quod quidem de adventu suo ad puniendam Iudeorum impietatem jam Matth. XXIV, 34. Marc. XIII, 30. Luc. XXI, 32. recte statuerat, de adventu autem ad judicium extremum statui non debebat. Si in parabola de decem virginibus hunc voluisset ab auditoribus suis intelligi, nae hos ipse induxisset in eundem errorem, in quo plures illo tempore versatos fuisse, compertum habemus. Sed quis est, qui hoc suspicetur? Iesus denique adhortatus est auditores, ut se ad adventum ipsius pararent. Nam illud γενναγετε Matth. XXV, 13. alio loco c. XXIV, 44. sic exprimitur: γνωσθε ἑτοιμοι. Qua ratione homines illius temporis ad adventum Christi ad poenas de Iudeis sumendas se parare potuerint debuerintque, haud obscurum est. Sed peculiaris modus, ad judicium se parandi extremum, non habet locum. Qui vitam vivit praeceptis divinis consentaneam et unoquoque temporis momento paratus est ad supremum obeundum diem, is sane etiam semper paratus erit ad judicium extremum, Ebr. IX, 27. Cur igitur Iesus cultores suos excitaverit, ut praecipue ad hoc judicium, non ad mortem se componerent, difficile erit ad perspiciendum. Scio quidem, Paulum i Thess. V, 1. ff. non minus, quam Petrum 2 epist. III, 3. ff. lectoribus suis

suis tales proposuisse exhortationes, quae eo spectarunt, ut se ad judicium extremum rite pararent. Sed hoc ideo factum esse videtur, quia apostoli hujus judicii tempus plane ignorarunt idque fortasse propinquum fore arbitrati sunt. Iesum autem ab hac opinione alienum fuisse, omnes sciunt.

Haec igitur sunt praecipua, quae me adducunt, ut credam, parabolam de decem virginibus non ad judicium extremum, etiam nunc futurum, sed ad judicium de judaica gente agendum, esse referendam.

Sed jam de alio, et quidem primo Iesu Christi in has terras adventu, cuius memoriam his diebus renovare jubemur, pauca dicenda sunt, vosque, Cives carissimi, ad hos dies pie celebrandos estis excitandi. Vos igitur cum omnibus iis, qui in Iesu Christi nomine gloriantur, per festum ejus natale etiam beneficiorum, ab ipso in omne humanum nomen collatorum, grato recordabimini animo, et quavis opportunitate, pietatem vestram tum augendi, tum conspicuam faciendi, diligenter utemini. P. P. fer. I. nat. Iesu Chr.
c^lcc^lcc^xc^{viii}.

(L. S.)



1
l'aperto di una grande strada che si stende verso l'alto e verso
il paese di Montebello. La strada è di pietra e la strada principale
che porta da Montebello a Roma è di pietra. La strada principale
che porta da Montebello a Roma è di pietra. La strada principale
che porta da Montebello a Roma è di pietra.

2
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada
che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.
Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma. Sarà questa strada che porta da Montebello a Roma.

(a)

Ge 4724 =

VDA8

ULB Halle
006 625 673

3





FESTVM
IESV CHRISTI NATALE

PIE CELEBRANDVM

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI
AVCTORITATE

INDICIT

D. JOANNES GVILELMVS RAV

THEOL. PROF. P. O. ECCLES. PALAEOPOLIT. PAST.

ET ILL. GYMNAS. SCHOLARCHA

Quo consilio Iesu Christus parabolam de decem virginibus
Matth. XXV, 1 — 13. proposuerit, anquiritur.

ERLANGAE

TYPIS A. E. IVNGE MDCCXCVIII